

EPISTULA LEONINA

CXIII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TERTIAM DECIMAM (113) !

ARGUMENTA

| | |
|--|-------|
| 1. THEOBROMATOLOGIA (IV)..... | 04-16 |
| 2. DE PRAESIDIS KENNEDY MORTE..... | 17-24 |
| 3. EXISTIMATIO LIBRI (Maiwald/Krauße)..... | 25-29 |

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam tertiam decimam.

Pluribus epistoliis electronicis me monuit Paulus Kangiser Iacobopolitanus, cooperator nostri fidelissimus, ut servarem periodum Epistulas Leoninas édendi a me ipso propositam. Nam me easdem septimanatim editurum esse annuntiaveram. Iterum rogo, ut habeas me excusatum. Interdum fit, ut inceptis interveniant res improvisae. His duabus septimanis mihi Leoninam Epistulam scripturo intervenerunt quaedam officia privata nequaquam negligenda. Sunt interdum quoque visitationes improvisae. Sed quod dilatum non est sublatum. Ceterum persuasissimum mihi esse scito velocitati praestare bonitatem. Nunc tandem habes, cara Lectrix, care Lector, epistulam Leonis centesimam tertiam decimam. Tolle lege fruere: bene sapiat!

Tu autem pancraticē vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat


Nicolaus Groß



LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

die Martis, 09. m. Aug., a.2016



DULCIA CUM AMARIS

**Est vetus et cunctis iactata paroemia vulgo,
 In damnis aliquid semper adesse boni.
 Id quoque testatur series aeterna globorum,
 Binos namque malos qui moderetur adest.
 Hanc quoque temperiem suavissima Musica servat,
 Lenior ut voces condiat una graves.
 Ordo planetarum quibus est et cognita virtus,
 Haec norunt, praesens atque figura monet.**

Johannes Sambucus Tirnaviensis Pannonius: **Emblematum**, cum aliquot nummis antiqui operis.
 Antverpiae 1564, p.154.

THEOBROMATOLOGIA SIVE HISTORIA CACAONIS ET SCOLATAE (IV)

Cacao quantum valeat ad valetudinem



Cacaonis ingredientia eorumque effectūs

- 54,0 % butyrum cacaoticum (pinguamen)
- 11,5 % proteina
- 9,0 % cellulosum
- 7,5 % amyllum et pentosana
- 6,0 % tanninum et partes colorificae
- 5,0 % aqua
- 2,6 % materiae minerales et sales
- 2,0 % acida organica et substantiae aromaticae
- 1,2 % theobrominum
- 1,0 % sacchara varia
- 0,2 % coffeinum

Cacao praeter magnam pinguedinis portionem multas continet substantias, quarum pars quaedam est valdē salubris (et quae computantur numero esse ferē trecentae). Quarum substantiarum praestantissimae sunt hae: anandamidum. arginimum, dopaminum (substantia neurotransmissoria), epicatechinum (substantia antioxydans)¹, histaminum, magnesium, serotoninum (substantia neurotransmissoria), tryptophanum (quod corpori utile est cum ceteris de causis tum eā, quā mutari potest in serotoninum), aminum phenylo-aethylicum (PEA), polyphenola (antioxydantia), tyraminum, salsolinolum, flavonoidea.

Theobromino² et serotoninino et dopamino³ animus hominis exhilaratur, sed non amino phenylo-aethylico, nam idem in corpore nimis celeriter decomponitur⁴.

Tannina autem valetudini nocentia fermentatione decomponuntur⁵.

Nonnullis bestiarum speciebus, velut canibus cattisque, theobrominum nocet (intoxicatio theobrominica).

Epicatechinum

Epicatechinum, quod est polyphenolum, in claritudinem pervenit propter effectum salubrem. *Norman Hollenberg* professor Havardianus disquisitione consideratā conclusit epicatechinum ad hominem habere vim salubrem. Ídem *Hollenberg* invenit epicatechino frequentiam quattuor morborum, qui essent inter quinque morbos mundi occidentalis frequentissimos, i.e. frequentiam apoplexiae cerebralis, infarctūs myocardii, cancri, diabetae, deminui posse usque ad frequentiam, quae esset minor quam denae partes centesimae. Disquisitione suā causas mortis in litteris officialibus indicatas, quae spectant ad *Gunam Yalam*, i.e. regionem autonomicam ad litus

¹ Irmgard Bitsch: [Kakao und Schokolade: gut für die Gesundheit \(PDF; 259 kB\)](#), Institut für Ernährungswissenschaft der [Justus-Liebig-Universität Gießen](#).

² Olaf Adam, Peter Schauder, [Günter Ollenschläger](#): *Ernährungsmedizin: Prävention und Therapie*. 3. Auflage, Elsevier, Urban und Fischer, München/Jena 2006, [ISBN 978-3-437-22921-3](#), S. 463.

³ Peter Mathes: *Ratgeber Herzinfarkt*. 5. Auflage, Springer, 2006, [ISBN 978-3-7985-1569-7](#), S. 37.

⁴ [Quarks & Co: Schokolade macht glücklich!](#), Sendung vom 9. Dezember 2008. deponere: cfr Fridericus Moll, *Pharmaco-Posologia specialis*, tom.2, lib.3, Viennae 1836, p.146: "...decomponitur in hydrogenium et oxygenium..."

⁵ [Kakao auf Wissen.de](#)

Panamae sitam, prius *San Blas* appellatam, cuius incolae cacaonem consumunt frequentissimē, per quadriennium (a.2000-2004) comparavit cum causis mortis in Panamae terrâ continentí finitímâ officialiter indicatis. At scientiae de conclusione Hollenbergianâ alii aliter sentiunt. Quamquam dubium non est, quin morbus vel valetudo cum consumptu cacaonis flavonolum continentis cohaereat, tamen oportet haec conclusio criticē consideretur, nam excludi non possunt alii factores vivendi, qui valeant ad populationes inter se comparatas. Investigatores sperant de illâ conclusione Hollenbergii certê iudicari posse novis disquisitionibus, quae fiant nunc (i.e. a.2007)⁶. Epicatechinum prodest memoriae temporis longioris, saltim memoriae cochlearum, ad quarum systema nervosum centrale epicatechinum directê valere demonstratum est.⁷

Substantia cacaonis sanatrix: »CocoHeal«

Scientiae Universitatis Monasteriensis in cacaone invenerunt novam classem materiarum, qua efficitur, ut cellulæ cutis melius crescant ideoque vulnera melius sanentur, detrimenta cutis curentur, rugae evitentur, ulcera stomachi rarescant. Haec substantia cacaonis insulata appellata est nomine triviali *CocoHeal*; nomine autem chemico hae materiae nominantur *amida acidorum phenylo-propenoylo-L-aminicorum*.

Singuli effectū salubres

Disquisitionibus numerosis demonstratum est cacaone consumendâ valetudinem foveri. Cacao est intricata mixtura substantiarum ferē trecentarum. Inventum est et universa ingredientia cacaonis et singula habere effectū salubres ad systema cordis circuitūsque humanum, ad systema nervosum, ad systema lymphaticum et hormonticum necnon ad systema immunitatis⁸.

⁶ Vicente Bayard: *Does Flavanol Intake Influence Mortality from Nitric Oxide-Dependent Processes? Ischemic Heart Disease, Stroke, Diabetes Mellitus, and Cancer in Panama*. In: *International Journal of Medical Sciences*. 2007, S. 53, [doi:10.7150/ijms.4.53](https://doi.org/10.7150/ijms.4.53).

⁷ [dradio – Forschung Aktuell – Meldungen – Neurowissenschaft: Mit Schokolade lernt es sich leichter vom 27. September 2012.](http://dradio.de/Forschung/Aktuell/Meldungen/Neurowissenschaft/Mit-Schokolade-lernt-es-sich-leichter-vom-27-September-2012.html)

⁸ Q. R. De Araujo, J. N. Gattward, S. Almoosawi, M. D. Costa Silva, P. A. Dantas, Q. R. Júnior: *Cacao and Human Health: from Head to Foot – A Review*. In: *Critical reviews in food science and nutrition*. [elektronische Veröffentlichung vor dem Druck] August 2013, [ISSN 1549-7852](https://doi.org/10.1080/10408398.2012.657921). doi:[10.1080/10408398.2012.657921](https://doi.org/10.1080/10408398.2012.657921). PMID [24915376](https://pubmed.ncbi.nlm.nih.gov/24915376/).

Cardiologi Helvetii socolatam nigram appellant „aspirinum dulce“; in conventu cardiologorum Americanorum annuo mense Novembri a.2006 relatum est chemicis coniunctionibus bioactivis, quae inessent socolatae nigrae, deminui aggregationem thrombocytorum.

Scientistae effectūs cacaonis salubres unā ex parte explicant cacaonis qualitatibus antioxydativis (50 gramma socolatae nigrae tantum continent antioxydantium quantum quindecim hyali suci aranciorum aut sex māla matura). Alterā ex parte flavanola cacaonis nitrogenio monoxydato melius parando effectūs habent ad nonnullas functiones metabolismi. Ideo potest prohiberi, ne sedimenta deponantur in vasibus sanguinis et effici, ut deminuantur detrimenta fumandi.

Inventum est cacaone sumendā augeri portionem cholesterini HDL, deminui portionem HDL. Praeterea cacaone sumptā cerebrum melius sanguine pervaditur (hoc demonstratum est eo, quod cacaone sumptā corpus disquiritur). Praeterea demonstratum est cacaone pressionem sanguinis deminui⁹. Itaque socolata, cui inest portio cacaonis quam maxima, praecipuē confert ad pressionem sanguinis deminuendam. At generaliter adhuc investigatur, quantum cacao conferat ad valetudinem.

In hominibus sanis ponderis normalis necnon in hominibus, qui erant pressione sanguinis auctae cacaone sumptā melior facta est sensibilitas insulini. In experimentis mensuratum est Argentinos lusores pedifolii cacaone sumptā ludere perseverantius. Praeterea demonstratum est socolata nigra, cui inesset cacao flavanolum continens, si continuo consumeretur, ita foveri functiones cutis salubres, ut significanter retardaretur cutis senescentia. Hoc apparere eo, quod cutis levigaretur et melius protegeretur contra lumen ultraviolaceum et melius umidaretur¹⁰.

Aliā quoque disquisitione per quindecim annos factā inventum est homines multum cacaonis sumentes subire aleam morbis cordis

⁹ K. Ried, T. R. Sullivan, P. Fakler, O. R. Frank, N. P. Stocks: *Effect of cocoa on blood pressure*. In: *The Cochrane database of systematic reviews*. Band 8, 2012, S. CD008893, [ISSN 1469-493X](#). [doi:10.1002/14651858.CD008893.pub2](https://doi.org/10.1002/14651858.CD008893.pub2), [PMID 22895979](#).

¹⁰ G. Scapagnini, S. Davinelli, L. Di Renzo, A. De Lorenzo, H. H. Olarte, G. Micali, A. F. Cicero, S. Gonzalez: *Cocoa Bioactive Compounds: Significance and Potential for the Maintenance of Skin Health*. In: *Nutrients*. Band 6, Nummer 8, 2014, S. 3202–3213, [ISSN 2072-6643](#). [doi:10.3390/nu6083202](https://doi.org/10.3390/nu6083202). [PMID 25116848](#).

circuitūsque moriendi relativam, quae esset quinquagenis centesimis partibus (50 %) minor quam alea hominum tantummodo paulum cacaonis sumentium.

Denique disquisitione Universitatis Aquilensis (*L'Aquila*) et associationis *Mars Inc.* inventum est flavonolis, quae cacaoni inessent, augeri facultatem hominum seniorum cognitivam¹¹. Aliis quoque disquisitionibus demonstratum est cacaone cacaonisque ingredientibus augeri facultatem animi attendendi¹².

Processus batavicus

Conradus Iohannes van Houten Batavus circa annum 1830 (millesimum octingentesimum tricesimum) invēnit processum qui appellatur Batavicus (i.e. anglicē *dutch process* seu *dutching*), in quo cacao alcalibus, velut natrio carbonico (Na_2CO_3), tractatur, ut fiat minus acida, aquā melius solvatur, colore fiat obscuriore, sapore molliore. Cacao sic tractata propter qualitates meliores inditur multis productis, velut socolatae vel gelato. Processu autem batavico numerus substantiarum antioxydantium, quae cacaoni insunt, deminuitur. Sed disquisitionibus recentioribus demonstratum est pulveri cacaotico socolataeque adversus processum batavicum adhuc inesse magnam portionem polyphenolorum.¹³

Quatenus cacao cadmio sit infecta

Quo plus cadmii humo inest, in qua arbores cacaones crescunt, eo plus cadmii continent fabae cacaoticae. Socolatae nigrae (sive amarae), quae sunt portione magnā cacaonis, qualis est *Criollo*, plurimum continent cadmii¹⁴. Ex anno 2007 institutum foederale aleae

¹¹ Website Mars Inc.: [Daily Cocoa Flavanol Consumption Shown to Improve Cognitive Function in Older Adults](#) vom 12. August 2012.

¹² A. Scholey, L. Owen: *Effects of chocolate on cognitive function and mood: a systematic review*. In: *Nutrition reviews*. Band 71, Nummer 10, Oktober 2013, S. 665–681, [ISSN 1753-4887](#). doi:10.1111/nure.12065. PMID 24117885.

¹³ EurekAlert: [New study re-emphasizes natural cocoa powder has high antioxidant content](#), 8. Oktober 2008. - Blisstree.com: [Antioxidants in Dutched \(Alkali-Processed\) Chocolates](#), 11. Oktober 2008.

¹⁴ „[Lebensmittel-Monitoring Bericht 2006](#).“ BVL – Bundesamt für Verbraucherschutz und Lebensmittelsicherheit . - „[Toxische Elemente in Lebensmitteln am Beispiel von Cadmium in Schokolade](#).“ Aktuelle Wochenschau der Gesellschaft Deutscher Chemiker (GDCh).

aestimandae¹⁵ postulat, ut praescribatur, ne socolatae insit plus cadmii quam maximum 0,1 vel 0,3 miligramma pro chiliogrammo¹⁶.

Quatenus cacao substantiis noxiis sit infecta

Si in seminariis cacaonum varia venena pesticidalia adhibentur, et in corporibus operariorum et in cacaone producta inveniuntur partes horum venenorum residuae. Tales substantiae noxiae in sero humano aut in producto ab investigatoribus inveniuntur chromatographiâ cum spectrometriâ coniunctâ¹⁵.

Cacaonem adhiberi ad tabacum condiendum

Secundum decretum tabacarium¹⁶ licet cacaonem addere productis tabacinis.

DE COCOA I.E. POTIONE CACAOTICA

Nomine, quod est **COCOA**, appellatur genus potionum, quae ex productis cacaoticis parantur aquâ et/aut lacte additâ. Pro modo parandi adhibentur pulvis cacaoticus, socolata (tabulata), instantaneus pulvis cacaoticus socolateusve aut genus siripi. Productum autem finale bibitur aut calidum aut frigidum.

Etymologia

Vox *cacaonis* (et *cocoae*) est originis aztecae et ducitur a *cacahuetl* sive *cacauatl*. Una ex potionibus cacaoticis, quae in usu erat gentis *Mayarum*, vocabatur *xocoatel* sive *chocolatl*; inde nomen socolatae est derivatum.

¹⁵ i.e. Bundesinstitut für Risikobewertung

¹⁶ Bundesinstitut für Risikobewertung: [BfR schlägt die Einführung eines Höchstgehalts für Cadmium in Schokolade vor.](#) (PDF; 213 kB) Stellungnahme Nr. 015/2007 des BfR vom 31. Januar 2007.

¹⁵ P. Rodríguez, J. Permanyer, J. M. Grases, C. González: *Confirmation method for the identification and determination of some organophosphorus and organochlorine pesticides in cocoa beans by gas chromatography-mass spectrometry*. J Chromatogr. 1991 Jan 2; 562 (1–2): S. 547–553, [PMID 2026717](#). -

- M. B. Sosan, A. E. Akingbohungbe, I. A. Ojo, M. A. Durosinni: *Insecticide residues in the blood serum and domestic water source of cacao farmers in Southwestern Nigeria*. Chemosphere. 2008 Jun; 72 (5): S. 781–784, [PMID 18471864](#).

¹⁶ orig. Tabakverordnung.



Ecce pocillum cocoaee, cui iuxtapositus est hyalus aquae.

Historia

In tropicâ Americâ praecolumbianâ ex cacaone parabantur potiones frigidae, saepe non dulcoratae, quae parum similes erant potionibus cacaoticis nobis consuetis, immo illae computantur continuisse alcohol¹⁷. Regno Aztecarum expugnato a.1519 Hispani cocoam in Europam tulerunt. Saeculo septimo decimo in Germaniam cocoa introducta est potio medicinalis. Primo vendita est in pharmacopoliis germanicis, ut legitur in textu quodam illius aetatis¹⁸: „*Cocoâ enim corroboratur stomachus, spiritûs vitales refocillantur, suci sanguisque diluuntur, adiuvatur voluptas veneris, caput fortificatur, dolores mitigantur; vix potest satis laudari cocoaee utilitas et nutritoria et medicinalis.*“

In circulis hominum nobilium europaeorum cocoa celeriter facta est potio gratissima, quae dicebatur esse eximiē digestibilis et salubris necnon fovere voluptatem venereum. Usus cocoaee eo maximē

¹⁷Netzeitung: [Mit Kakao besoffen vor Tausenden von Jahren \(Memento\)](#) vom 21. Mai 2007 im [Internet Archive](#)), 13. November 2007

¹⁸textus originalis: „*Es stärcket nemlich der Cacao den Magen, macht Lebensgeister hurtig, verdünnt die Säfte und Geblüht, hilft zur Venus-Lust, stärcket das Haupt, lindert Schmerzen und ist sein Lob sowohl zur Nahrung wie als Medicament nicht genug fast zu beschreiben.*“

increbruit, quod inventum est eandem fieri magis aromaticam multisque Europaeis melius sapere, si dulcoraretur saccharo saccharoso. Cocoa cum esset potio Ludovico XIV. (quarto decimo) omnium gratissima, multi principes plus minusve potentes studebant imitari consuetudinem bibendi regalem. Saeculo duodevicesimo in more erat cocoam bibere pocillo tremulario (*sit venia verbo*), ut potio pretiosa biberetur sine iacturâ.



Pocillum *tremularium (*trembleuse*).

Illâ aetate nondum inter se distinguebantur pulvis cacaoticus et socolata tabulata, quia nondum cognita erat ratio disoleandi¹⁹ technica. Cacao vendebatur in tabulas compressa, quae erant laminae crudae neque saccharum neque lac continentes. Ex iisdem frusta abrupta staterâ pendebantur, sed nondum directê comedebantur. Potio autem, i.e. cocoa, parabatur additis aquâ et saccharo. Portio cacaonis varia erat pro gustu necnon cruminâ, nam cacao erat pretiosa.

Iohannes Anthelmus Brillat-Savarin (1755-1826) auctor Franco-gallus gastronomus de cocoâ parandâ refert haec²⁰:

¹⁹ *dis-oleare (cfr verbum italicum), i.q. ab oleo separare.

²⁰ i.e. Jean Anthelme Brillat-Savarin. In Latinum converti verba in symbolâ Wikipedianâ theodiscê allata, quae sunt haec: „Um Chocolade zu bereiten, das heißtt um sie zum sofortigen Genusse



Iohannes Anthelmus Brillat-Savarin
(1755-1826)
qui fuit gastrósophus

„Ad cocoam parandam, i.e. ad cacaonem talem faciendam, ut statim eâdem fruaris, sumito unam et semissem unciam cacaonis pro pocillo, curato, ut lentê liquescat aquâ paulatim calefactâ, spathulâ ligneâ peragitans; deinde curato, ut ferveat per quadrans horae, ut perfectê dissolvatur, et apponito calidam. (...) Plus quinquaginta annis ante abbatissa Belicensis (Belley) Monasterii Visitationis Mariae mecum colloquens: »Mi Domine« inquit, »si vis bibere cocoam bonam, sinas eam vespere proximo praeterito in hirneâ porcellaneâ praeparare ibidemque permanere. Cocoa si per noctem in vasi permanet, concentratur, ut sapiat delicatius et multo iucundius. Bonus Deus certê non irascitur de hac subtilitate lautiusculâ, nam idem ipse est ens omnium subtilissimum.“

Postea cocoa facta est potio parvolorum, quae, cum disoleata valore nutritivo magnam partem esset orbata, saepius non parabatur aquâ, sed lacte, ut valor nutritivus denuo augeretur necnon amaritudo mitigaretur. A.1828 methodo pulveris cacaotici disoleandi inventâ

zweckdienlich zu machen, nimmt man ungefähr anderthalb Unzen auf die Tasse, lässt sie sachte in allmählich erwärmtem Wasser zergehen, indem man sie mit einem Holzspatel umröhrt; dann lässt man sie eine Viertelstunde kochen, damit die Lösung eine vollständige werde, und servirt sie heiß. (...) Mein Herr, sagte mir vor mehr als 50 Jahren die Superiorin des Klosters der Heimsuchung zu Belley, wenn Sie gute Chocolade trinken wollen, so lassen Sie dieselbe am Abend zuvor in einer Porzelankanne zubereiten und darin stehen. Das Stehen über Nacht concentriert sie und gibt ihr einen Feingeschmack, der sie viel angenehmer macht. Der gute Gott kann über dieses kleine Raffinement nicht zürnen, ist er doch selbst höchste Vortrefflichkeit.“ (citavimus sec. [Philippe Suchard](#), Neuchâtel 1885)

Conradus Iohannes van Houten²¹ accepit diploma inventionis. Idem effecit, ut duo genera pulveris cacaotici mercatoria vénirent, unum ad cocoam, alterum ad socolatam tabulatam statim edibilem conficiendam.

Hodie cocoa vix iam parari potest more tradito, quia neque pulvis cacaoticus neque socolata tabulata aequales sunt cacaoni tradito more adhibitae (substantia illi cacaoni tralaticiae simillima nescio an sit socolata amara, cui inest cacao quam plurima; quibusdam in tabernis vénit cacao pura). Cocoa etiam rarius quam antea paratur pulvere cacaotico et lacte et saccharo, ex quo cacaoticae potiones exstant instantaneae, quae praeter quantitatem cacaonis potius modicam et sacchari maiorem continent substantias aromaticas et emulsorias et partim pulverem lacteum. Negotiationes talia producta instantanea vendentes in terris germanophonis principales sunt Helvetica *negociatio Nestleana*, cuius potio appellatur *Nesquik*, et *negociatio Mondeleziana*, a qua vénunt producta, quibus nomina sunt *Kaba* et *Suchard Express*. Massa cacaonis cruda per mercaturam industrialem solet vénire, nam qualitates producendi et vendendi usque nunc parum mutatae sunt.

Modi cocoa parandae more traditi



Ecce fervida cocoa Tunesiensis viscosa

²¹ **Coenraad Johannes van Houten** (*d.15. m.Mart.a.1801; † 1887 in Weesp) fuit Batavus pharmacopola et chemista. Qui dicitur una cum patre suo invenisse pulverem cacaoticum, ut fabas cacaonis disolearent et ut cacao aqua melius dissoleveretur.

Sunt varia genera potiones cacaoticas parandi, quae inter se differunt et additamentis et methodo. Quae exorta sunt traditis moribus variarum regionum:

Cocoam parari integris fabis cacaoticis

In Mexico et Iamaicâ ad cocoam parandam adhuc adhibentur integrae fabae cacaonis tostae, quae molitae ita pertractantur, ut fiant pasta solida. Talis pasta in Mexico vînit in formam globorum, in Iamaicâ pastillorum redacta. Ibidem mos est tales potiones aquâ additâ peragitare, usque dum spumescant, et condire. Tales potiones sapore aromatico comparari non possunt cum potionibus huiusmodi europaeis.

Cocoam parari additâ socolatâ

In multis terris europaeis, velut in Francogalliâ, Italiâ, Austriâ, Britanniâ maiore, Helvetiâ, cocoa solet confici adhibitâ socolatâ. Adhibetur enim socolata amara aut lactea. Pro regione socolata paratur aquâ aut lacte aut utroque liquore additis et peragitatur, dum spumescat. Quibusdam in regionibus confectores solent eo, quod addunt quasdam substantias, efficere, ut potio spissescat: Hispani addunt amyrum, Austriaci vitellum, Itali additicum pulverem cacaoticum. Haec genera cocoa parandae partim valdê inter se differunt intensitate atque dulcedine. Cocoa solet parari et apponi calida.

Cocoam parari pulvere cacaotico

Potiones, quae confectae sunt ex pulvere cacaotico plus minusve disoleato, parantur lacte et aquâ aut utroque liquore. In Austriâ liquori additur crimum battutum (*Obers*). Cum pulvis cacaoticus additamentorum expers (aliter ac solita producta instantanea, qualis est cacao granulata) liquore frigido aegrê tantum solvatur, idem primum parvâ copiâ liquoris additâ peragitatur, ut fiat puls. Eadem autem nunc potest aut peragitando in liquorem fervidum infunditur (quâ methodo aroma optimê servatur) aut cum liquore calefit.



Ecce ligula pulveris cacaonis instantanei, qui cum lacte commiscendus est.

Generaliter omnes potiones cacaoticae (etiam eae, quae parantur socolatâ) calefacienda, sed non fervefacienda sunt, ne aroma (i.e. sapor et fragrantia) cacaonis deminuatur.

Potiones cacaonis aromaticae

Omnia genera cocoae supra commemoratae possunt condiri aromatibus. Cocoa solet condiri condimentis more traditis, quae sunt vanilla et cinnamomum, nuperrimē in Europâ quoque usu iterum receptum est cocoam parare capsico chiliano. Praeterea potiones cacaoticae etiam condiuntur potionibus spirituosis, velut vino adusto, aquulâ russicâ (polonicâve), rhomio. Potio cacaotica rhomio commixta est *Lumumba*.

Trivialia

Color pocilli videtur vim habere ad saporem potionum cacaoticarum, quem sapiunt bibentes: Disquisitione enim demonstratum est cocoam calidam optimē sapere, si biberetur e pocillo coloris arancii, colore autem pocilli secundum ab gratissimo esse cremaceum²². At eadem cocoa minus bene sapuit bibentibus, si apposita est pocillo albo aut

²² cfr http://www.actaplantarum.org/glossario/glossario_view.php?id=2553 **Glossario dei termini botanici** di Giuliano Salvai e Giovanni Dose... **Cremeus** e le sue derivazioni, corrispondono al colore crema, formato da una tonalit?? di giallo molto chiaro, tendente al bianco, simile a quello della crema pasticcera, che tuttavia spesso assume tonalit?? diverse, che hanno dato il nome ad alcune specie botaniche e micologiche. **Cremaceus**: *Ceriomyces cremaceus* **Cremeus**: *Epimedium cremeum*, *Aleuritopteris cremea*,

rubro impleta²³. Prioribus iam disquisitionibus demonstratum erat colores multum valere ad gustum humanum: colore rubro effici, ut cibi conditi viderentur esse sapore acriore, potiones vasibus caeruleis receptas videri esse recentiores atque recreabiliores quam potiones, quae essent receptae vasibus rubris²⁴.

THEOBROMATOLOGIAE PARTEM IV

**e verbis symbolarum Wikipediae, quibus tituli sunt
»Kakao« et »Geschichte des Kakaogetränks« in Latinum
conversis composit**

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

Sequetur Pars Quinta et Finalis: De socolata tabulata.

²³ Betina Piqueras-Fiszman and Charles Spence: *The Influence of the Color of the Cup on Consumers' Perception of a Hot Beverage*. In: *Journal of Sensory Studies*. Vol 27, Nr. 5, 2012, S. 324-331.

²⁴ [Orange Tassen für heiße Schokolade!](#). bild der wissenschaft.

DE PRAESIDIS KENNEDY MORTE



JOHN FITZGERALD KENNEDY

(*29. m.Maii a.1917 - +22. m.Nov. a.1963)
Praeses Civitatum Americae Unitarum
(1961-63)

Iohannes Fitzgeraldus Kennedy praeses Civitatum Americae Unitarum *quo auctore et qua de causa* d.22. m.Nov. a.1963 *Dallas* in urbe Texanâ *interfectus sit*, adhuc incertum atque incognitum est.

Diurnarii et historici suspectos habebant alii alias, velut vicepraesidem *Lyndonium Johnson*, *Richardum Nixon*, *Edgarium Hooverum* eiusque officium foederale investigatorium (*FBI*), officium secretum US-americanum (*CIA*), sistema argentiarum centrale (*FRS*), mafiam US-americanam necnon officium secretum sovieticum (*KGB*); attamen paucis diebus post interfectionem *Robertus Kennedy* Praesidis frater, et *Iacobina (Jacqueline) Kennedy* vidua, sovieticos privatim certiores facientes se nullo modo illos habere suspectos; *Robertus* igitur et *Iacobina* de ipsis concivibus suspicionem habebant, non de hostibus et advenis; multi libri multaeque paginae scriptae sunt de hac interfectione, quippe quae non solum in Civitatibus Unitis, sed etiam

in toto orbe terrarum animos hominum perturbavit; ego quamquam non sum huius rei peritus tamen meam sententiam innixam rebus partim notis partim ignotis, quae tamen possunt excogitari, paucis verbis aperiam, et quamvis aliqui magni negotiatores inceptoresque Iohannis Kennedy praesidis mortem vel saltem recessum optaverint, tamen puto primam et praecipuam partem huius – ut ita dicam – dramatis *mafiam* egisse; quomodo egit? Causas probabiles cum rebus certis commiscebo; itaque de *Iosepho Kennedy* Iohannis et Roberti patre, de *Marilyna Monroe* deque *Iacobo Rubenstein* (vulgo *Jack Ruby*) aliqua dicenda sunt, necnon de aliis, quae dramatis personae eo tempore fuerunt:



PATRICIUS KENNEDY
(1858-1929)



IOSEPHUS KENNEDY
(1888-1969)

Iosephus Kennedy patrem habuit *Patricium Kennedy* (1858-1929); is enim ortus ab Hibernis, qui in Civitates Unitas immigraverant, in portu Bostoniano operatus popinarum seriem administravit et ornavit, ubi optimates nummos, quos in navibus mercandis acceperant, pro vischio et aliis potibus permutabant; eiusque unus filius fuit *Iosephus* (1888 -1969); qui dicitur prima iuventute, cum alcohol lege esset prohibitum, subintroductor lucrum accepisse, sed re vera ad multas res perficiendas aptissimus fuisse; legibus enim pernoscendis dedit operam in Universitate Harvardiana, in collocationibus bursariis Novi Eboraci magnos proventus fecit, etiam praediis et aedificiis


construendis negotiatus est, atque negotio cinematographicō quinque annos interfuit; ideo histrionibus histrionissisque familiariter usus est; deinde anno 1933 Lege Sicca (*Dry Law*) abrogata, nam inutilis erat, a *Iacobo (James) Roosevelt* Praesidis filio, adiutus est, ut monopolio uteretur ad vischium ex Hibernia importandum; ita factum est, ut opes suas iam amplas novo lucro denuo exauxit.

Anno 1938, brevi ante alterum bellum mundanum exortum, Iosephus Kennedy Londinium missus est; ibi ostendit se favere socialismo nationali; qua de causa a praeside vituperatus in Civitates Unitas reversus a cursu politico appetito desistere coactus est; itaque non iam suum cursum honorum, sed filiorum tacite et in umbra fovere studuit; praeter filium Iosephum Patricium, qui in acie versatus anno 1944 in Europa mortuus erat, reliquos tres filios Iohannem et Robertum et Eduardum tam studiose fovit, ut legislatorio munere fungerentur; attamen cum potuum prohibitorum commercium olim egerat, suspicio exorta est tres filios Iosephi parlamentum posteaque munus praesidentis petentes a mafia adiutos esse; a mafiosis igitur, qui *Lege Sicca* facti erat potentissimi ditissimique, non solum alcohol, quod interim iam erat licitum, sed etiam drogarum mercatura agebatur; ad hoc commercium illegitimum faciendum cum mafiosi auxilio egerent magistratum, Kennedyorum cursum politicum foverunt ea condicione, ut sibi postea gratia referretur a legislatoribus reliquisque magistratis.



MARILYN MONROE
(1926-1962)

Marilyna Monroe, nata die 1° mensis Iunii anni 1926, mortua die 5° mensis Augusti anni 1962; nominata est die natali *Norma Baker*; ei mater nunquam develavit patris nomen; duodecim diebus postquam nata est puella, a matre tradita est *Idae* atque *Alberto Wayne Bolender* coniugibus valde piis, a quibus educata est usque ad annum aetatis septimum, quo a matre recepta est; at paulo post matre in psychocomium delata (propter schizophreniam, quem morbum Marilynam iam adulta credebat se per hereditatem recepisse) Marilynam in orphanotropheo vitam miseram degit. Postea puella novem annos nata in avorum domicilio, deinde in aliorum sedibus dies sine ulla spe degebat; sunt, qui credant hanc puellam illo tempore ab ero, in cuius domo erat, vitiata esse. Illo tempore nemo ullo modo suspicatus est miserrimam hanc puellam postea futuram esse reginam Aquifolieti (*Aquifolietum = Hollywood*) in numerum histrióniarum totius orbis terrarum plausu dignissimarum referendam; insuper eadem facta est symbolum eroticum per orbem terrarum a multis laudatum et quaesitum adeo, ut amicitiam cum praestantissimis viris vel palam vel secreto iungeret; praeterea tria matrimonia celebravit cum *Iacobo (James) Dougherty* (1942), et *Iosepho (Joe) DiMaggio* (1954), et *Arturo Miller* (1956), a quo anno 1961 divortio se liberavit; Marilynae autem vita praeter famam et divitias et plausus animi depressione saepe est afflita; attamen amicitiam et voluntatem suam erga Praesidem Kennedy die sabbato 19 m Maii anni 1962 palam ostendit; quippe quae salutationem anniversariam (*happy birthday*) coram amicis et politicis et Domus Albae officialibus voluptuosa voce Praesidi cantavit; Kennedy enim suaे vitae annum 45 (quadragesimum quintum) compleverat; unfortunate Marilynam eodem anno m. Augusti die 5 mortua est, ut putatur medicamentorum hypnoticorum (i.e. dormitivorum) dosi letali; sic saltem medicus affirmavit; at non omnes id credunt, nam corpus eius inventum est in lecto iacens cum telephono, quod firmiter manu tenebat, quasi moritura aliquem vocare voluisse; neque abest suspicio eam non mortuam esse suicidio, sed homicidio; praeterea dicitur taenia magnetophonica quoque inventa esse, quae ultimum telephonema ab ea factum contineret; quod telephonema ab astynomis numquam publicatum esse.



LEE HARVEY OSWALD (1939-1963)



JACK RUBY (1911-1967)

Iacobus Rubenstein (Jack Ruby) anno 1911 natus, postquam hic illic victum quaesivit anno 1943 in exercitu stipendium meruit et rude donatus est anno 1946, ut primae classis miles, i.e. honorifice; at idem



RUBY REVOLUCRO COLTIANO IACULATUR IN OSWALDUM

ex anno 1939 cum fratribus *Campisi* et cum *Carolo Marcello*, qui mafiosis scelerumque organizatoribus iam pridem intererant, consuetudine iunctus erat; anno autem 1947 testis praecipuus a *Richardo Nixon* vocatus est, ut testimonium diceret coram Commissione, quae eos investigabat ut communistas, qui contra Civitates Unitas agerent; itaque biduo post quam Iohannes Kennedy interfectus est, Iacobus Rubenstein coram astyphylacibus suspectum *Lee Harvey Oswaldum* revolucro coltiano interfecit, qui cum hesterna die interrogatus esset, negaverat se esse praesidis Kennedy interfectorum; attamen multi ad praesidem interimendum a mafiosis coniurationem conflatam esse contenderunt; argumenta tamen quibus coniuratio sive negatur sive affirmatur multa edita sunt et passim legi possunt; ii autem qui coniurationem negant, enodare nesciverunt quo modo eadem glande plumbea praesidis *Kennedy* collum et simul gubernator *Connally*, qui in eadem limusina vehebatur, vulnerati essent; hi enim sedebant unus ab altero remotior, quam ut eadem glande uterque recta linea vulneraretur.

E contra commissio investigatoria, cui moderatus est *Earl Warren*, contendit et tres glandes in praesidem Kennedy electas esse et Oswaldum sine sociis facinus fecisse et idcirco nullam factam esse coniurationem; quae omnia disputabilia usque ad hunc diem

permanent; itaque die 24^o. mensis Novembris anni 1963 vir, qui quamvis negaverit, unicus erat, qui veritatem dicere posset, glande plumbea percussus cecidit et in sempiternum siluit. Iacobus vero Rubenstein in iudicium vocatus et homicidii praecogitati accusatus capitis damnatus est; sed postea eius advocati id assecuti sunt, ut anteactum iudicium irritum diceretur et novum iudicium obtinerent, quo Rubenstein accusaretur homicidii simplicis sive non praecogitati eique levior poena imponeretur. At tandem die 3^o mensis Ianuarii anni 1967 Iacobus Rubenstein ob cancrum pulmonarium sub custodia in nosocomio mortuus est.

Ego autem his omnibus argumentis perpensis haec conclusi quae sequuntur. *Primum*: quod Iosephus Kennedy Praesidentis pater in iuventute cum potus alcoholicos subintroduceret, aliqua consuetudine cum mafia coniunctus erat; *secundum*: quod mafiosi Iohannis Kennedy petitionem munericis praesidentialis foverunt, sub hac condicione, ut praeses eis sua vice faveret; *tertium*: quod huius condicionis cum praeses oblitus esset, mafia Marilynae Monroe morte praesidem huius condicionis monuit, cuius morte cuncta natio mota est; *quartum*: quod mafiosi decreverunt, ut praesidem adhuc illam condicionem infitiantem curarent necandum, nam nemo mafiam impune lacescit; deinde mafiosi ad homicidium perficiendum duobus operariis usi sunt, unum, qui interficeret praesidem et alterum, qui interficeret interfectorum, dico Oswaldum et Rubensteinum, quorum uterque suo tempore mortuus est; sed periculum adhuc instabat, dum vivebat Robertus Kennedy praesidis frater; is erat nationis procurator sive investigator generalis et ob id ipsum in delictis investigandis magnopere versatus erat; praeterea nemo dubitabat, quin Robertus fieri posset rei publicae praeses, si hoc munus petivisset, quippe quem factio democratistarum candidatum nominaverat; itaque post contionem politicam nocte diei 4 et 5. mensis Iunii anni 1968, paucis minutis post mediam noctem, **Robertus Kennedy** tribus glandibus plumbeis percussus interemptus est; eius interfector esse dictus est **Sirhan Sirhan**, cuius nomen licet forma latinizemus, quae est *Sirhanus*. Idem vir adhuc in carcere vitam degit; attamen est etiam alter vir suspectus omnino ignotus, qui in Robertum Kennedy revolucro iaculatus sit; **Paulus** autem **Schrade** 90 annorum nunc natus, qui una cum Roberto Kennedy erat in contione, affirmat Sirhanum a culpa abesse, itaque illum virum alterum, qui aufugerit, criminatur homicidam esse; de

utroque homicidio nihil certi scimus; denique *Iacobina Kennedy* vidua, quam postea *Aristoteles Onassis* in matrimonium duxit posteaque iterum viduam factam reliquit, die 19. mensis Maii anni 1994 e vita discessit; una cum testamento et aliis ipsius Iacobinae documentis inventum est involucrum epistulare, cui haec verba erant inscripta: *Ne aperueritis antequam anni 50 ab obitu meo sint transacti!* Quidnam hoc involucro continetur? Dicitur quidem Iacobina in epistula huic involucro imposta se ipsam culpare, quae alium subornaverit, ut praesidem maritum curaret interficiendum; at id minime credendum est, quia nihil veri inest ineritque his revelationibus, antequam erunt publicata; anno igitur 2044 ex eo involucro veritas tandem emerget; illo autem tempore ego – eheu - ab hoc mundo iam profectus ero.



© Popperfoto/Getty Images

Nocte d.4 et 5. m.lun. a.1968 Angelopoli contione finita in coquina Deversorii Ambasciatoris **ROBERTUS FRATER IOHANNIS KENNEDY** tribus glandibus plumbeis revolucro projectis prostratus est. Luxta eum puer quidam 17 annos natus, qui vocatur *Juan Romero*, genibus flexis manum tenet Roberti Kennedy. Huius homicidii accusatus et damnatus est *Sirhan Sirhan* (*1944), filius parentium Palaestinorum fidei Christianae. Sirhanus ipse negavit se facinus fecisse; eius advocati contenderunt Sirhanum ante facinus hypnosi esse subiectum. Etiam *Paulus Schrade* affirmat Sirhanum a culpa abesse. De alterius quoque homicidii Kennedyani causa et auctore alii aliter sentiunt.

DE MORTE PRAESIDIS IOHANNIS KENNEDY SCRIPSIT PAULUS KANGISER IACOBOPOLITANUS

EXISTIMATIO LIBRORUM

**Armin Maiwald (auctor)/ Ulrich Krauße (interpres):
Fabulae Latinae et Miraculum vitae**

1. Arminius narrat... Lateinische Sachgeschichten. Fabulae Latinae Band 1

Originaltext und Bilder Armin Maiwald, übersetzt von Ulrich Krauße.

Verlag MundusLatinus, Ulrich Krauße, 2015. 77 pp. Preium: 19,95 €.

ISBN 978-3-9813892-5-8

2. Arminius narrat... Das Wunder des Lebens – Miraculum vitae. Sonderband 1

Text und Bilder Armin Maiwald, übersetzt von Ulrich Krauße. 94 pp. Preium: 19,95 €.

ISBN 978-3-9813892-6-5

Fabulae Latinae: Describuntur realia, i.e. res cottidiana, praesertim technicae et fabriles. In hōc tomo agitur de “latrinā siderali”, i.e. de sellā familiaricā ab astronautis adhibendā, de vestimentis Papae officialibus, de igne faciendo, de “Placentā praecipuā”, i.e. de ecclesiasticis hostiis oblates fabricandis. - **Miraculum vitae:** Agitur de ontogenesi hominis: describitur, quomodo in corpore matris ex ovulo fecundato oriatur foetus et embryo et infans neonatus.

Procul dubio laude digna sunt argumenta tractata, modus describendi et explicandi, librorumque photographemata. Necnon verbis efferendum est, quod interpres ausus est opuscula Latina magnis cum sumptibus propriis in publicum ēdere. Nam nos Latinitatis vivae defensores atque propugnatores sitienter egemus animosis animatoribus rem nostram propagantes praedicantesque, ne praematurē viescat novus flosculus tenerimus arboris antiquae rigore hiemali diurno torpentis.

Ex alterā parte non possumus, quin vituperemus vocabula parum bene electa necnon menda grammatica stilisticaque. Prorsus desunt testimonia verborum antiqua mediaevalia recentiora. Desunt quantitates vocalium accentūisque syllabarum. Desunt notae grammaticae (declinatio, genus grammaticum, iuncturae verbales, radices verborum temporalium).

Persaepe interpres contra usum Latinitatis aureae utitur attributis praepositionalibus, e.g. dicit (Fabulae Latinae, p.64): «Soror Sofia e Corea», ubi dicendum est *soror Sophia e Coreā oriunda sive soror Sophia Coreana*. Oportet adhibere locutiones clausas quales appellantur. Alia exempla errorum nunc sequuntur.

Arminius narrat... Lateinische Sachgeschichten. Fabulae Latinae Band 1

p.8, lin.1: bananas. convenientius: +musa, -ae f. (fructus) est nomen huius fructus mediaevale necnon botanicum (cfr familia botanica, quae appellatur Musaceae, -arum f.pl.). – **p.9, lin.** latrina est oecus sive conclave sive cella, cui inest sella familiarica sive pertusa. Hae notae inter se sunt distinguendae. – **p.14, lin.4:** suppositorii. recte: substramen cervesiae (Ei. ap. He. 124, s.v. *Bierfilz*). suppositorium est potius t.t. pharmaceuticus, theod. *Zäpfchen*. – **p.15, lin.3:** exercita- (non : exer-cita-). – **lin.4sq.** parti posteriori bracarum (non : in parte posteriore) – Hic videtis (non: videre potestis, q.e. phraseologicum). – **lin. ult.** Crux rubra foramini medio imposta (non: in medio foraminis). – **p.16, lin.3sqq.** aer ab imo fluens primum frigidior est, quam ut alvum exonerare possis. (non: aer ab imo tam frigidus est, ut primo te exonerare non possis) – **lin.8sq.** Per hunc tubum parte adaptiva instructum... - **p.17, lin.12** Paene oblitus sum (non: Prope...) – **titulus imaginis:** situla purgamentorum in parietem abdita (non: excipulum...in muro abditum). – **p.20 lin.1** Latrina sideralis (non: Latrina siderlis) – **lin.6** aspiratum (non: aspiratum pulveris). – camera cinematographica (non: machina ...). - **lin.4** ab ult. ponto sideralis (non: navicula) sideralis f. *Raumfahre*. cfr p.21, lin.2 pendēre (paenultima longa est indicanda, non est i.q. péndēre). - **lin.5** ponto interstellaris. – **lin.9** rucheta (non: *rocheta*). – **lin.10** alvum exonerare (non: *se exonerare*). – **lin.5** ab ult. *Schwerelosigkeit:* status sine pondere (cfr Boleslaw Złotnicki, Lexicon medicum ... Warszawa 1971, 71,1234 in: He. 494). Quod attributum praepositionale abhorret a bonâ Latinitate. Primo consideremus, quomodo haec notio appelletur linguis romanis, linguâ neograecâ anglicâque: ital. *assenza di peso*; fr. *l'impesanteur, apesanteur*; hisp. *ingravidez*; lusitan. *microgravidade, ausência de peso*; catalan. *ingravidesa*; neogr. ἐλλειψης βαρύτητας; angl. *weightlessness, absence of weight*. – Num audeamus configere verba q.s.**ingravitas*, -atis f. – adi. *íngravis, -e ? cfr nomina insectorum zoologica, q.s. Papestra ingravis, Polia ingravis, Atheta ingravis, Crematogaster neuvillei cooperi ingravis. – Dubito de tali confictione. Potius dicamus: **absentia ponderis**; adi. *ponderis* expers.-

lin.4 ab ult. suppositorium, -ii n. *Untersetzer, Bierdeckel*: v. supra. Potius convenit substramen cervesarium, subex cervesiae (Ei. ap. He.124 s.v.*Bierfilz*). – **p.25 , lin.3** Nonnulla eorum (sc. vestimentorum) iam novistis (non: scitis). – lin.6 societatis ferrivia- (non: Ferri-viar-). – **p.26, lin.1** ab homine (non: a homine). – **lin.2sq.** *Vestimentum officiale Papae non vero est habile. Et etiam non est protectivum.* Interpres loquitur sermone salebroso. Non est necessarium verbum novare q.e. “protectivum”. Melius dicendum est: Vestimentum officiale a Papâ neque geritur commoditatis neque corporis protegendi causâ. – **lin.5sq.** Papa nuper nos hic...visitavit (non: visitabat), quia hic Dies Mundialis Iuventutis celebratus est (non: celerabatur). - **p.27, lin.1** sutana, -ae f. *Sutane*. – Forma est depravata, recta est: +subtana, -ae f. (sc. vestis), cfr Antiquitates Italicae medii aevi, auctore Ludovico Antonio Muratorio, tom.II, Mediolani

1739, col.423 D: “Ergo subtana vestis nuncupata est, quae tamen *super* aliis vestibus induebatur, atque omnium aspectui parebat.” - **inc.2, lin.3** mozzetta, ae f. Forma “mozzetta” est parum Latina. Rectius videtur nomen, q.e. bavarum latum, cfr Chronologia Romanorum Pontificum, Romae 1751, p.103: “Et quamvis hoc regularium improprie appellari consuevit *Mozzettum*, potius appellandum videtur *Bavarum latum*, ut per synonymum explicatur in quodam decreto Sacrae Congregationis Rituum allato a Macrio, ubi de hoc synonymo: ibi namque legitur: *Sacra Rituum Congregatio censuit dicto abbati generali Congragationis Montis Virginis posse concedi usum dictae Mozzettæ seu Bavari lati cum caputio sine birreto, & in Terris, & locis tantum suae Jurisdictioni subjectis: Bullar. Casinen. tom.2 Const. 571*”. – **p.28, sub imagine alterâ:** infans cum veste baptismali. Tale obiectum praepositionale non convenit cum usu Latinitatis aureae. Melius dicendum est: infans veste baptismali indutus. - **p.29, lin.4sqq.:** Sed nemo scit, quae statura (non : figura) novo Papae sit. – **p.31, lin.2sqq.:** *Ad eum amictum etiam fabula est.* Convenientius: De hoc quoque amictu narratur quaedam fabula. – **p.31, inc.2, lin.5sqq.:** *Ne sacerdos perfrictionem contraheret* (non: *acciperet*). – **inc.3 :** Pedes Papae calceati (sive calceis induti) sunt (non: *In pedibus Papa etiam calceos habet*). – **p.37, inc.3, lin.8:** possedit (non: *possessit*). - **lin.paenult.sqq.:** Quales hae sint, licet divines: nam non certo scimus (*kann nur vermutet werden*; parum Latine: *solum conici potest*). – **p.38:** XX Mundialis Iuventutis Dies Coloniae Agrippinae celebratus (non: ...*Dies Coloniae*). – **p.43, inc.2, lin.3sqq.:** Fomes autem nihil est nisi stratum huius fungi dissecti externum... (non: *Et si hic fungus secatur, solum stratum externum est, quod fomes nominatur*). – **inc.2, lin.5sqq.:** Si quae res rapidē inflammatur, eadem dicitur ardere fomitis facilitate. – **p.44, lin.1:** Deinde etiam taleola ferrea opus est (non: *parte ferrea opus est*). cfr p.294 s.v.: “*Talea, ae f., any piece cut off; a stake. Talea ferrea, pieces of iron used by the ancient Britons for money.*” cfr Walde/Hofmann, Etymologisches Wörterbuch, II, 643: “talea, -ae f. “Stäbchen, Setzling, Setzreis; jedes abgeschnittene stabförmige Stück; spitzer Pfahl, Eisenbarren” (seit Cic., rom., ebenso taleola ds., seit Colum.): samt talio, -are “spalte, schneide” ...” – **p.44, inc.2, lin.2sqq.:** *Hic est Martinus, a museo ‘Ruhrlandmuseum’, qui hoc iam saepe fecit...*”: In aureâ Latinitate non licet ûti tali attributo praepositionali; oportet adhibere expressionem clausam: *Hic est Martinus, Musei Ruraniani adiutor, qui...* - **p.44, imag.2:** Quomodo scintillæ e silice excudantur (non: *scintillas e silice excudere*). - **p.45, imag.2:** fomes in seminibus carduorum gliscens (non: *fomes gliscens in semitis carduorum*). – **p.45, inc.2, lin.5sqq.** ...perge flare, ne ignis pereat! Semper flare necesse est, dum semina carduorum fumare incipient. (non: *Semper flare, quoad semina carduorum fumare incipiunt*). – **p.46, lin.1sq.:** Nunc stramentum adhibetur. Iterum flandum est (non: *flare*). – **lin.5** Fumus adhuc efficitur, nondum ignis (non: *Solum fumat. De igne dici nondum potest.*) - **lin.8sqq.:** Aliae quoque res multum valent (ad ignem excitandum): Oportet oxygenium inflare, ut flamma crescat (non: *Flare oxygenium apportat, ut...*). – **lin.10sq.:** Totus autem fascis manibus tibi est tenendus, ne stramentum avolet.

(non: *Et totum fascem in manibus tenere debes, nam ita stramentum non avolat*). Verbum debendi magis spectat ad officium quoddam morale, sed necessitas naturalis potius exprimitur formâ gerundivi. – **p.46, inc.2, lin.1sq.:** In initio magis caveas oportet, ne ignis exstinguatur quam ne laedaris (non: *In initio periculum perdendi ignis est maius quam periculum se urendi*). – **p.47, lin.1:** Ne ramices rumpat (PLAUT.merc.138; non: *Ne pulmonem e corpore efflet...*) - **p.47, inc.3, lin.2:** ramentum flammiferum (non: *sulphuratum*). – **p.48, lin.5sq.** Ramentum autem non accenditur antequam ignis est sat magnus (non: *Et lignum sulphurati tum demum ardet, si ignis tandem satis magnus est*. – **p.49, lin.ult.** fornax, fornacis **f.** (!) (non: *m.*) – **p.50, s.v. pars ferrea:** taleola ferrea (cfr supra p.44, lin.1). – **p.50:** periculum laesionis (non: *periculum se laedendi*). – periculum ustulationis (non: *periculum se urendi*). – lapis fulmineus *Feuerstein* (accuratius quam: *silex*). – **p.55, inc.2:** Abbatia (non: *Abtei*). – **p.56, lin.1sq.:** In pistrinâ evangelicâ incipitur ab aquâ (non: *cum aqua incipitur*). - **lin.3:** Ferê quinque litrae in ollam infunduntur (non: *infunditur*). - **p.56, lin.3:** aqua peragitatur (non: *permiscetur*). - **inc.2, lin.1sq.** pasta (non: *farina subacta*). – **p.57, sub imag.1:** Quomodo aquae indatur farina (non: *aqua cum farina*). – **sub imag.2:** magnum rutabulum (non: *magna machina permiscendi*). – **p.64, lin.3sq.:** Botone semel impresso omnes partes simul exsecantur (non: *Una impressione botonis omnes partes simul exciduntur*). – **inc.2:** Hic labor a sorore Sophiâ Coreanâ (sive: e Coreâ oriundâ, non: *a sorore Sophia e Corea*). Non licet substantivo verba attribuere praepositione ! Est germanismus crassus: «von Schwester Sophie aus Korea». – **p.65, lin.1:** e placentis hostiae fiunt (non: *faciuntur*). - **lin.1sq.:** quibus in Cenâ Domini aut catholicâ Communione Sacrâ opus est (non: *in Cenam Dominicam aut apud catholicam Communionem Sacra*). – p.65, inc.4: Omnes hostiae eodem modo confectae sunt. Tamen inter se differunt... (non: *...adhuc eodem modo factae sunt. Sed discrimin adest...*). – **p.67, inc.3, lin.7:** Ministri (non: *Ministrantes*, quia participio praesentis nihil indicatur nisi actio transitoria). – **p.73, s.v.:** opus est (non: *est*). - **p.75, s.v.:** transsubstantiatio (non: *transsubstantatio*). – **tubus s.v.** est theod. *Rohr*; melius est uter, utris m. i.q. *Schlauch*.

Haec hactenus. Sufficiant hae stribilignum castigatiunculae. Interpretem autem monemus, ut naviter studeat scribere sermone puriore atque Latiniore; hanc quidem condicionem si servaverit, utinam indefesse pergit textus modernos ad usum tironum in Latinum conversos in publicum êdere, ut Orbis Latinus abundanter ditificetur.

OPUSCULA AB ARMINIO MAIWALD SCRIPTA

**AB UDALRICO KRAUSSE
IN LATINUM CONVERSA ET EDITA**

EXISTIMAVIT

**NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR. | Num. manda- telae | ISBN | TITULUS | AUCTOR | TRANS- LATOR | ANNUS | FORMA | AMPLI- TUDO | PRE- TIUM |
|-----|-------------------------|-------------------|---|---------------------------------|-----------------|-------|---------------|----------------|--------------|
| 1 | 00104 | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 2 | 00104 A | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 21 min. | € 22,90 |
| 3 | 00204 | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 33 pp. | € 27,50 |
| 4 | 00304 | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 6 pp. | € 17,90 |
| 5 | 00304 A | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | Audio | 6 min. | € 20,90 |
| 6 | 00404 | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 7 | 00404 A | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibles | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 20 min. | € 21,90 |
| 8 | 00504 | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 14 pp. | € 19,50 |
| 9 | 00604 | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 16 pp. | € 19,00 |
| 10 | 00704 | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS | Diogenes Anaedoeus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 11 pp. | € 19,50 |
| 11 | 00804 | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI | Diogenes Anaedoeus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 12 | 00904 | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAЕ | Bertolt Brecht | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 21 pp. | € 22,00 |
| 13 | 01004 | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN | Henricus van den Lande de Raelt | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,50 |

| | | | | | | | | | |
|----|---------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|---------------|---------|---------|
| 14 | 01104 | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM | 21 pp. | € 22,00 |
| 15 | 01204 | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIAE 1 | Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 16 | 00105 | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS | Friedrich Dürrenma tt | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 49 pp. | € 31,90 |
| 17 | 00205 | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE | Gerhart Hauptman n | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 18 | 00305 | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1) | Christoph Martin Wieland | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 15 pp. | € 19,50 |
| 19 | 00405 | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT | Johann Wolfgang von Goethe | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 82 pp. | € 38,90 |
| 20 | 00505 A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 00605 A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 00705 A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles | C.I. Caesar | ----- | 2005 | Audio | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106 | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ | Nikolaus Gross | ----- | 2006 | CD-ROM pdf | 87 pp. | € 48,00 |
| 24 | 00206 | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM | Karl Friedrich Kielmeyer | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf | 66 pp. | € 38,00 |
| 25 | 00306 A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles | C.I. Caesar | ----- | 2006 | Audio | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 00406 A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles | M.T. Cicero | ----- | 2006 | Audio | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 00506 A | 978-3-938905-26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles | L.A. Seneca | ----- | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |
| 28 | 00107 A | 978-3-938905-27-2 | ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS | Apuleius | ----- -- | 2007 | Audio | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 00207 A | 978-3-938905-28- | OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA | Livius | ----- | 2007 | Audio | 53 min. | € 23,90 |

| | | | | | | | | | |
|----|-------|-------------------|------------------------|------------------------------|----------------|------|---------------|--------|---------|
| | | 9 | | | | | | | |
| 30 | 00307 | 978-3-938905-29-6 | FABELLAE GRIMMIANAE II | Jacob Grimm/ Wihelm Grimm | Nikolaus Gross | 2007 | CD-ROM pdf | 58 pp. | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TERTIAM DECIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Martis, 09. m.Aug. a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>